



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 229. Massilia ab Alphonso expugnata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

## §. CCXXVIII.

Sæcul. XV.

A.C. 1423.

*Alphonfi adoptio a Neapolis Regina  
solemniter rescissa.*

Post hæc Regina Alphonsum, summam Antonin. tit.  
Ro. c. 7. §. 6.  
ejus ingratitude exosa, velut in-  
fensissimum hostem habuit; quocirca hu-  
jus adoptionem revocavit, ac publico,  
eoque solemniter diplomate omnibus Prin-  
cipibus declaravit, Alphonsum ab omni  
jure in Neapolis regnum excidisse. Abe-  
rat tum Alphonsus, jam enim Mense Oc-  
tobri in Hispanias profectus erat, Hen-  
ricum Fratrem suum liberaturus e car-  
cere, in quem Castellæ Rex eum con-  
jici jubebat, ulturus non modo infaustas  
nuptias, quas Henricus utraque parte in-  
vita a Catharina ejus sorore extorserat,  
sed etiam injuriam, quam ab eo per ali-  
quod tempus in vinculis detentus antea  
perpessus erat.

## §. CCXXIX.

*Massilia ab Alphonso expugnata.*

Arragonum Rex, ut erat magnanimus,  
intrepidus, impiger, & audax, in iti-  
nere suo aggressus est facinus, quo sane,  
nisi audaciæ adspirasset fortuna, insolitæ  
temeritatis notam non effugisset; quip-  
pe de Ludovico Andegavensi vindictam  
sumpturus, Massiliam ex parte, quæ por-  
tu

tu

Sæcul. XV.  
A.C. 1423.

tu cingitur, invadit, ac cum tota classe sua portum, rupta, qua claudebatur, catena, ingreditur, inde in aggerem ad ripam descendit, primisque obviis ædibus ignem infert, & totam urbem inopino metu percussam, paucis duntaxat civibus, iisque ignave resistantibus, occupat. Ergo, postquam tribus integris diebus eam vastavit, diripuitque, tandem urbis opulentissimæ spoliis onustus, cum partam tueri posse desperaret, iter suum in Hispaniam profecutus est, ablatis inde S. Ludovici Episcopi Tolosani reliquiis, quæ Massiliæ extra muros in Ecclesia Franciscanorum asservabantur, postea vero ab eo in Valentina Cathedrali Ecclesia magno honore collocatæ fuerunt.

§. CCXXX.

*Ludovicus Andegavensis a Regina adoptatus.*

Equidem Alphonsus ægerrime tulit, adoptionis suæ tabulas a Regina fuisse rescissas, longe vehementiori tamen dolore Neapolitani Regni jus in Ludovicum Andegavensem translatum intellexit, quo nihilominus nuncio summus Pontifex non modice lætabatur; unde Ludovici adoptionem diplomate prima Octobris dato confirmabat, eidemque suas submittebat copias, quibus cum Ludovicus nulla  
mora